

conviciatus est, hunc contempsit iste. Si referas contumeliam, dicitur: ambo conviciati sunt. Uterque condemnatur, nemo absolvitur. Ergo illius est studium, ut irritet, ut similia illi loquar, similia agam: Justus est autem dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonae conscientiae, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentiae, contentum esse gravitate morum suorum. Hoc est enim silere a bonis: quia bene sibi conscius, falsis non debet moveri: nec aestimare plus ponderis in alieno esse convicio, quam in suo testimonio. Ita fit, ut etiam humilitatem custodiat. Si autem nolit humilior videri, talia tractat, et dicit ipse secum: Hic ergo ut me contemnat, et in conspectu meo loquatur talia adversum me, quasi non possim ego ei aperire os meum? Cur non etiam ego dicam, in quibus eum moestificare possim? Hic ergo ut mihi injurias faciat, quasi vir non sim, quasi vindicare me non possim? Hic me criminetur, quasi ego non possim graviora in eum componere? Qui talia dicit, non est mitis atque humilis, non est sine tentatione. Tentator eum exagitat, ipse ei tales opiniones inserit. Plerumque adhibet hominem nequam spiritus, qui haec illi dicat. Sed tu in petra fixum vestigium tene. Etsi servus convicium dicat, justus tacet. Etsi infirmus contumeliam faciat, justus tacet. Etsi pauper criminetur, justus non respondet. Haec sunt arma justis, ut cedendo vincat. Sicut periti jaculandi cedentes solent vincere, et fugientes gravioribus sequentem ictibus vulnerare.

EXEMPLUM PATIENTIAE DAVID.

Quid enim est opus moveri, cum audimus convicia? Cur non imitemur dicentem: Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis²⁾? An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit

1) Ps. 38.